(20

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL L. POTTER,

Hibernus,

DISPENSATORII APUD COOKSTOWN,
AGRI TYRONENIS CHIRURGUS,
ARTIS OBSTETRICIÆ EX HOSPITIO
EBLANENSI LICENTIATUS,
SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS.

"Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, æger extinguitur." CELSUS, *Lib.* iii.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

FŒMINÆ HONORABILI

DOMINÆ ELIZABETHÆ STEWART

DE KILLYMOON,

IN COMITATU TYRONESI,

VIRTUTIBUS ET GRATIIS

QUÆ SEXUM SUUM DECORANT,

PERILLUSTRI;

HAS PAGINAS,

SUMMA CUM REVERENTIA

ATQUE UT ANIMUM SUUM,

OB MULTA NEC UNQUAM OBLIVISCENDA BENEFICIA

TESTETUR GRATISSIMUM,

CONSECRARE VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE.

SAMUELE L. POTTER, Auctore.

PROŒMIUM.

QUONIAM omnium pene academiarum prudentia sancitum est, summos honores, præsertim medicinæ petentes, non judicibus solum, sed publico quoque, specimine doctrinæ suæ edito, ut satisfacerent, nos consilio saluberrimo libenter paremus. Gravem vero materiam illustrare eo magis voluimus, ut scribentis inscitia rei ipsius momento

compensaretur; ante omnia, ne, quæ usu medicinæ faciendæ satis frequenti didicerimus, in iis qui intestinorum inflammatione laborarent, memoriæ forte exciderent, nosque magis aliorum scriptis, quam propriis visis fisi videremus: vacat quoque omni pene controversia hæc affectio, ideoque, notissima hujus academiæ, in opinionibus censendis, liberalitate, uti minus cogar.

Formidabilis utique morbus Enteritis est, nec ætati nec sexui parciturus; subtilissime impetit, atque ad pessimas inflammationis fines cito deproperat, ni insidiis ejus raptim fuerit occursum. Hinc vix minus quam ipsis cubantibus, medico terrori esse consuevit.

Optime autem, atque ex artis medendi dignitate cessit, uti hæc tot tantisque augmentis in dies creverit, historias morborum, viasque sanandi, tam subtili diligentia persecuta sit, ut pluribus quotidie casibus salutem afflictis medici promittere possint; etiam ubi patres rem ex toto desperandam æstimavissent. Quamvis igitur metus circa Enteritidem proculdubio sit maximus, spes haudquaquam abjicienda est; neque terrebimur, casibus illis, utcunque crebris aut deflendis, ubi, puncto temporis quo salus reddi potue-

rit, neglecto, ægrum, summo medicorum optimorum conamine nihil obstante, præcipitari videmus.

DE ENTERITIDIS HISTORIA.

Nomen, ut morborum fere omnium, Græcum est, intestinorumque inflammationem significat. Illis autem verbis clarissimus Cullenus definivit:

"Pyrexia typhodes; dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens; vomitus; alvus pertinaciter adstricta."

Duas in species, Phlegmonoideam et Erythematicam, idem Enteritidem distribuit: quarum prior "dolore acuto, pyrexia vehementi, vomitu, et alvo adstricta;" posterior vero "dolore et pyrexia lenioribus, sine vomitu, et cum diarrhœa," insignita est; illam quoque ventriculi peritonæo, tunicaque ejusdem cellulosa dicta, sedem posse habere; hanc vero semper in tunica villosa, telaque cellulosa ei proxima subjacente, semper inveniri, in Primis medicinæ lineis, c. 385, confirmat. Plerumque tamen in morbo graviore, omnes simul

ventriculi tunicæ malo implicantur, utcunque id inceperit: neque signa ulla ante mortem certa dantur, quibus alteram ab altera specie quivis distinguere posset. Doctissimus J. ABERCROMBIE, in Diario Medico-Chirurgico Edinensi (vol. xvi. p. 177–178.), rem ita se habere multis verbis demonstravit. Quinetiam veri simillimum esse, Enteritidem ab initio protinus tunicam aut peritonæalem, aut musculosam, aut mucosam, indifferenter occupare posse: dehinc in cæteras gradatim transire, vel etiam omnes simul afficere, sæpe quidem diarrhœam et signa mitiora, peritonæi musculique intestini inflammationem comitari.

Mortuorum quidem incisio omnes affici tunicas monstrat.

DE SIGNIS.

ENTERITIDEM plerumque autem prænunciant horrores, solitaque febris indicia; de dolore acuto ardente in abdomine æger conqueritur, modo in parte aliqua certa, modo generaliore, quasi vago circa umbilicum torquente, pressuque summopere aggravato, vires mire oppressæ, nausea;

bilis vomitio, maxime si prope ventriculum inflammatio sita sit, singultus, sitis, cutis calor; pulsus plerumque nec semper tamen celer; durus, parvus, nonnunquam plenus.

His ni occursum fuerit, dolor evadit gravior; tota abdominis regio fit tenerior, dolentior, sub explorantis tactu, subinde et stercora per os rejecta sunt, alvus adstrictissima est, urina haud sine difficultate quadam cruciatuque excernitur: respiratio laboriosa fit, pulsus intermittens, et dejectiones tenues, quasi saniosæ, nec sponte descendunt.

DE FINIBUS

Inflammatio quæ hoc ritu grassari perrexit, in suppurationem, in lymphæ vel etiam seri effusionem, in gangrænam haud raro, et aliquando in resolutionem quoque exit. Hæc autem eo optime cognoscitur, quod dolor ex pressu admoto, vomitusque cessaverint; quod alvus mota sit medicamentis ad id aptis, quod pulsus plenior, naturalior, mollior, lentior; lingua quoque purior, humidior evaserit; virium depressio, anxietasque

levatæ fuerint; urina interea sedimentum lateritium deponente, sudoreque tepido leni per universum hominem æqualiter perspirante, cibi demum reduce cupiditate simul urgente.

Membranarum quidem serosarum inflammationis rarior exitus suppuratio est: nihilominus, cum per dies aliquot signa modica perdurant, nec remediis idoneis cedunt; si horrores abnormes accedant, cum sensu ponderis pro dolore qui fuit acuto, scire licet abscessum tum formari, qualis in caveam intestinorum deinceps corrumpens purulentam profusionem in dejectionibus efficit, cum ulcere, nec sæpe tamen, fistuloso; et ipsa demum gangræna. Pauci quidem morbi tam proclives in gangrænam deproperant, citiusve eo pervenire consuerunt quam Enteritis; maxime si cum alvo adstricta morbus inceperit. Hanc vero adesse tendunt subita doloris cessatio, pulsus debilis, frequens, intermittensque factus, lingua sordibus onusta, sicca, dentes labraque sorde nigra duriuscula incrustati; sudor gelidus, corpus universum contegens; quæ omnia eventum futurum haudquaquam ambigue declarant, maxime si iis accesserint dejectiones liquidæ, nigræ, nec hominis sponte excretæ, singultus, visus jactura, seu

caligines, animi defectus: Sub iis enim æger citissime expirat. Verum tamen est hunc morbum plerumque vitam, antequam gangrænæ ut accederet tempus esset, infelicibus extinguere, ideoque gangrænam sæpius minari quam videri. Qua de re præclare scripsit MATTHÆUS BAILLIE in Anatomiæ morbidæ Anglice scripto Compendio, pp. 169, 170, 171. Idem quoque auctor est, suppurationem rarissimum esse mali finem, nisi quibus inflammatio membranæ mucosæ solæ hæsivit; id quod in specie Erythematica sæpius contingere, multos existimare jam supra monuimus. Miror equidem virum tam optimo jure celebrem non vidisse, cur ex omnibus alvina sola membrana mucosa in exulcerationem, ideoque in puris excretionem, ex inflammatione proclivis extet, cum hæc sola, ut nemo non videt, perpetuis acrimoniis corrupti cibi, acidi, alcali, salis irritantis, omnibus horis pateat; si forte inflammata simul sit, est certe quod mireris si talis inflammatio non in ulcerationem aut gangrænam abiret, nequaquam si tam acri perpetuoque irritamento tandem cedat, in suppurationemque rapiatur.

Scirrhus, saltem induratio quædam intestini carcinomati haud absimilis, rarus est, nec fere vi-

dendus nisi in intestinis crassioribus, quibus tamen in senioribus haud ita infrequenter contingere idem BAILLIUS, p. 102, memoriæ tradidit; nimirum, omnem intestini portionem nequaquam æque obnoxiam esse, sed longe sæpius *flexum* coli sigmoideum, vel rectum intestinum, malo sedem præbere contendit; cujus rei hoc modo fortasse ratio reddi poterit: sub crassioris intestini finem quam alia quavis ejusdem parte, glandulæ multo plures sitæ sunt; atque notum est, quod fabrica glandulosa, præ aliis corporis textibus, scirrhum facillime suscipiat. Apud *flexum sigmoideum* quoque, sedes hujus intestini omnium angustissima est, ideoque rerum duriorum descendentium injuriis multo magis obnoxia; ut in parte adeo in scirrhum, propter glandes, proclivi, is morbus facile excitetur. Si inflammatio rectum occuparet tunicæ ejus sæpe incrassantur, scilicet a sero, vel lympha coagulata multa in telam cellulosam aliasve intestini fabricas effusa, qualiter lumen intestini vehementer stringit, nec raro in appendicem quandam tunicæ ejus internæ adhærentes desinunt. Hæc quidem robustis sanisque corporibus communia; debilibus autem irritabilibusque, inflammatio,

etiam si per effusionem desinere potest, pronior est, ut ad membranæ mucosæ exulcerationem deproperet. Nisi quidem ad morbi conditionem jam ægrum nostrum exercentem, ad corporis valetudinem, habitum, ætatem, diligentissime medicus attendat, eventus longe sæpius erit infaustus. Tunc enim æger, primo vexatus, tandem exhaustus est, a conjuncta violentia suppurationis nimiæ, molestiæ perpetuæ cum dolore gravi, et irritationis continuæ.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

HABITUS corporis plenus, alvus torpida, ætas provecta, liquorum ardentium potio in consuetudinem adducta, colica, hernia, intus-susceptio; fibra demum laxior, ut nonnulli volunt, ad Enteritidem corpus humanum proclive reddunt. Quamvis vero senilis omnium proclivissimum sit ætas, nulla prorsus immunis est. Cl. ABERCROMBIE, in loco supra citato, et Dr GAIRDNER in Actis Medico-Chirurgicis Edinensibus, Enteritidis species quasdam infantibus proprias literis tradiderunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Perspiratio suppressa, sive abdomini, sive quod sæpius contingit, extremis inferioribus vel superioribus, frigus fuerit admotum; cœlum frigidum aut humidum; partus difficilis; ingesta acria, qualia sunt venena mineralia et vegetabilia, purgantia violenta, menses suppressi; injuriæ, ut ictus, calcitratus, vulnus, incisio chirurgica; ulcerum forte subita desiccatio, cibus concoctu difficilis; vehementes animi affectus, ira, mœstitia, nuncii subiti nec sperati, vigilia, studium intensum, ignavia, dies in multam noctem producta, intestini vulnera; podagræ, rheumatismi forsan metastasis, rubeolæ, variolæ, scarlatinæ exitus, vulgo apud medicos pro causis excitantibus recensita sunt. Quarum tamen omnium longe frequentissime operantur alvus compressa, et frigus membris inferioribus admotum, his dum alget, illis dum planissimis poris perspirat corpus.

DE DIAGNOSI.

Nullus forsan ex morbis cum Enteritide sæpius confunditnr quam Colica; quæ tamen cognoscitur doloris ex pressu, nec minus febris absentia, musculis ad vertebras versus retro ductis, pulsu lento, molli, naturali, lingua nitida, siti, aliisque pyrexiæ signis nullis.

In Peritonitide abdomen usquequaque pressum dolet, nec ulla certa præ aliis sede; corpore erecto dolor augetur, etiam ex inspiratione: munera tam alvi tam ventriculi parum impedita sunt.

Gastritis.—Diagnosis tamen hic nequaquam certa est: calorem ardentem habet tensionemque in regione ventriculi; dolor in eadem vehementer exacerbatur ab ingestis, quæ cito rejici solent; inflammationem et aphthas circa os et fauces, ingentem demum virium prostrationem. Hepatitidem discernunt, dolor hypochondrii humerique dextri, decumbendi in adversum latus impotentia vel difficultas; cutis atque oculorum flavedo, urinæ et alvi aspectus, maxime dejectiones albido vel argillaceo colore.

Doctissimus WILSON PHILIP memoriæ tradidit, "Non semper facile hanc ab inflammatione viscerum distingui posse. Cum ad vicina repserit, sedem ejus præcipuam discernere pene impossible fit; cum partem coli superiorem afficit, signa pleuritidis, hepatitidis simulat; cum ultra rectum non vagatur tenesmum, ani constrictionem, aliaque hæmorrhoidis signa, quibuscum sæpe male confunditur."

Nephritis, a doloribus suis lumborum regionem obtinentibus, atque per ureteris tractum se dirigentibus, cruris stupore, testis retractione, etiam mictu difficiliore dignoscitur.

DE PROGNOSI.

SI indicia leviora sint, remedia idonea tempestive adhibita: si pulsus fit mollis, magisque naturalis; alvus sponte laxa, vomitus per se quieverit, dolorque quem pressus fecerat; lingua simul humida, nitida facta; si cibi cupiditas redierit, perspiratio generalis totum pervaserit corpus, —tum alia quoque indicia resolutionem appro-

pinquare indicabunt, faustam mali terminationem simul promittentia.

Contra, si signa pyrexiæ perseverant, cum ventre tumido, alvo adstricta, vomitu vehementi, abdominis musculorum spasmis, cum sudore simul viscido, gelido, dejectionibus liquidis nigris, nec sponte cubantis excretis, singultu, urinæ retentione, æger summo vitæ discrimine versatus: his enim omnibus præsentibus, mors adest. Si vero scirrhus observetur, morbus longus erit, neque minus certe letho, utcunque pro tempore procrastinato, finietur.

DE CADAVERIS INCISIONE.

Hoc in morbo mortuorum incisiones fere docent, inflammationem tubum intestini longe pervagatam esse, partium morbidarum cum contiguis adhæsionem factam; sæpe intestinum gangræna affectum, ulceribusve obsitum. Hæc quidem aliter ac in cæteris corporis partibus se habent. *Annulo* quodam inflammationis rubido, innotescunt, super planum membranæ muscosæ, quæ adhuc sana est evidenter elevata.

In gangræna intestinum nigrum est, molle, digitis facile lacerabile, nonnunquam vesiculis obsitum ; alias quasi ruptum apparet. Porro, eadem intestina præterea obstructiones pertinacissimas, ostendunt; quoque *intus-susceptiones*, constrictiones, contortiones ; quin plerisque in exemplis peritonæum quoque tangi, nec raro lamina quadam lymphæ coagulatæ contegi.

Mesenterium atque omentum sæpe inflammata videntur. Scirrhus, si quando Enteritidis vera fuerit progenies, ingentem incrassationem, consolidationem, amplificationem ; magnam etiam confusionem partium affectarum monstrat. Firmus sed elasticus hujus mali sensus quem tangenti præstat, cartilaginis æmulus, sibi omnino proprius est. Intestini scalpello patefacti lumen pene occlusum reperitur ; sectio quidem vestigia primæ structuræ tam pauca repræsentat, ut dictu perdifficile sit qua in fabrica malum inceperit.

CURATIO.

Morbi historia, causis tam prædisponentibus quam excitantibus, cum incisione corporis post

mortem, prognosi ac diagnosi, supra traditis, restat, ut morbi curationem nunc aggrediamur. Qui autem Enteritidi medendæ animum suum intendunt, tria maxime consilia ut respiciant oportet; nimirum, ut inflammatio extinguatur, ut alvi pigritia tollatur, ut alia quæcunque simul urgent mala alleventur.

Horum longe vero princeps consilium, perinde ac in aliis fere phlegmasiis explendum est, sanguinis missione in pleno rivo, sed tempestive celebrata; nec minore copia quæ vim effectus sui in corpore satis manifestam ostenderit, pulsu nimirum arteriarum tardiore, molliore, vultus pallore, hominis ad animi defectionem proclivitate. Pulsus quidem status hoc in morbo optimo jure summam medici attentionem sibi vindicat. Hoc enim morbo, ut Clar. WILSONUS PHILIP auctor est, per exempla omnia quibus sanguinis detractio utilis fuit, hæc non alio consilio adhibita est quam ut vim pulsus augeret; nec juvat nisi prout in hunc finem efficax apparuerit. Utique si effectus supra memorati accesserint sanguinis missioni, mali remittere solent omnia pene indicia; quæ tamen citius seriusve redeuntia, iterata missione, quanta omnia hæc levare, corpusque

secundo afficere evidenter possit, erunt oppugnanda. Quousque sanguinis missio in hoc morbo tuta usurpanda sit, doctissimus ABERCROMBIE luculenter monstravit. Inter statum illum corporis collapsum, sanguine primum misso qui accedit, impressio in morbum aliqua fieri solet, quæ tamen cito evanescit; plerumque cum motus sanguinis vigorem pristinam receperit. Hujus rei causa in omni inflammatione organi vitalis summi momenti videtur, ut prima venæsectio vel exinanitio tanta sit, quod impulsus sui indicia manifesta eliciat; nec minus ut curantis animadversio alacris vigilet, ne profectus ita paratos elabi sinant. Quandocunque enim hos recedere medicus notat, iteranda erit exinanitio, brevi utcunque intervallo. Sæpenumero se hoc ritu tradit vim inflammationum varie grassantium fregisse, nempe pulsum debilem, animique deliquium maxima missione induxisse; atque siquando paulo fortior evaderet pulsus, novam missionem imperasse, quamvis non ita largam; quia sex septemve sanguinis uncias sæpe satis fuisse, invenerat. Hujus curationis utilitas manifesta est. Sanguinis utrique detractio minor est, ut alias ostendimus, nec adeo multum debilitatis superinducit: sanguinis

vero e parte missionem, summi semper esse momenti existimo; maxime autem ambiguis illis exemplis ubi corporis vires vehementer extenuatæ fuerint. In his vero cucurbitutæ, hirudines complures ventri vel ano etiam admotas anteponerem, quippe quæ doloris minus malo ipsi cruciabili adjiciant; quæque ano, eidem scilicet ac qui laborat textui adhibitæ, spei plus aliquanto promittant; quin eadem, hujus rei causa, apud Gallos cæterasque gentes summo favore sunt. Nec prorsus tamen a lanceola abstineri debet aliquis, si sanguis missus et concretus crustam coriaceam albam inflammationi fere propriam, non præ se ferat in morbo nostro. Sæpe quidem sanguis in Enteritide missus nihil indicat, nec a copia, habitu, vel absentia crustæ supradictæ, solis, nos de inflammationis statu judicare licet, sed de coaguli copia potius et quantitate, cum his indiciis conjunctis; maxime vero de dolore quem pressus movet, deque crustæ coriaceæ firmitate et contractione. Quæ quidem signa, quam diu adsunt, inflammationem adhuc in abdomine subesse indicant. Huic proximum autem remedium simulque potentissimum Tabaci enema est, quod, quum

sæpe mirum in modum ipse proficere viderim, in multis exemplis fidentissime usui commendare possum. Inflammationis progressum cohibet, somnum conciliat, vomitum sedat, alvi dejectionem promovet: quin si hoc ultimum minus efficeret, danda sunt enemata stimulantia, secunda vel tertia quaque hora repetenda; præsertim sub ea depressione quam fecerit enema tabaci. Hoc autem identidem, haud aliter ac sanguinis missio, repeti debet.

DE PURGANTIBUS.

Hujus vero medicamentorum generis *maturus* in morbo usus, ambiguus saltem mihi apparet. Eo quidem medicus vix confugere debet, donec mutatio morbi habitus manifesta fuerit affecta; sanguine misso, enemate tabaci balneoque calido celebratis.

His autem adhibendis, talia seligere necesse est, qualia ventriculo optime convenire videantur, nec irritabilem ejus conditionem intendant. Submurias Hydrargyri, per se, vel purgantibus qui-

busdam conjunctus, a memetipso dosibus iteratis præbitus fuit ad effectum speratum inducendum. Post doses singulas hanc ægri sumebant misturam,

℞ Tartratis Sodæ et Potasse, ℥ss.
Carbonatis Sodæ, ʒi.
Aquæ tepidæ, ℥vi. M.

Sumat æger hujus cochlearia iv. cum cochlearibus duobus succi limonum inter effervescendum. Post singulas doses Submuriatis Hydrargyri, Dr W. PHILIP contendit catharsin hoc in morbo adhuc majoris esse momenti quam in ventriculi inflammatione, nullaque medicamenta reperit, Sub-muriate Hydrargyri Sulphateque Magnesiæ, ad hunc finem potiora. Varia tamen sub hoc nomine medicamenta subinde exhibentur: Scammonia, Gambogia, Jalapa, Elaterium, oleum seminis Crotonis Tiglii, oleum seminis Ricini communis, Oleum Terebinthinæ; quorum utique in hoc morbo utilitas dubia admodum videtur, quoniam ipsum malum exasperatura magis quam lenitura talia esse metuamus.

Vesicas moventia, vel exulceratoria, proxime se offerunt. Hæc autem abstinenda esse mihi per-

suadeor, donec sanguinis missio tam generalis quam specialis eousque exacta fuerit, ut medicus morbum jam ei remedio cedere perspiciat, neve solo morbi progressus indicio, scilicet *dolore in ventre percepto*, se præmature fraudet: quod quidem signum Enteritidis ad dignoscendum optimum esse consentiunt. Dantur tamen exempla, quibus maturo etiam in mali progressu negligi id tuto potest, ubi vomitus vehemens premit. Talibus vesicatorium protinus ab initio admotum maximopere prodesse vidi; simul quidem atque superimpositum doloris et irritationis sensum moverit, vomitus ex toto quievit, res in Enteritide summis semper votis optanda. Observatione opus aliqua est, ne pars exulcerata negligetur; quem ad finem unguento quodam mitiore, vel linimento oleo intincto, foveri debet. Quin æger ipse haud raro quærit, quod sua quidem natura melius adhuc accommodatur, Cataplasma emolliens, quod et calore diu retento dolorem mitigat, et fomenti ritu inflammationem hic quam optime subigit, quæcunque demum sit ratio ejus operandi.

Super aliis jam commendatis remediis, fomenta ipsa, et balneum tepidum adjicio: sæpe quidem

auxilium subitum nec fugax præstant, si cæteris illis conjuncta fuerint. Aquæ tepor ægro gratus reddi debet, qualiter inter gradum 95° et 100° F. esse solet. Qui supra id sunt calores fere nimis stimulant, vimque potius inflammationis intendunt quam frangunt. Quam diu ægro in balneo tuto remanendum sit, ex ipsius sensu commodoque, morbi quoque violentia, æstimari oportet. Longam utique in eodem moram, calor renixusque febrilis auctus subsequi consuevit.

Opium frigorisque usus nuper nec indoctis viris usui commendata sunt. Quum vero ipse de eorundem effectibus nihil cognoverim, aliena illa observata experientiæ maturiori relinquere visum est.

Regimen, seu medicina antiphlogistica, diligenter adhibenda est: quæ stimulant omnia, cane pejus et angue vitanda: sorbitiones, quales aqua avenacea, *panado*, seu intrita Marantæ arundinaceæ radix, cæteraque præbent, huic usui aptissima videntur, etiam morbo jam aliquandiu subacto. Recidivæ, dolendum est, nimis sæpe occurrunt, atque medicum frustrantur, atque denuo ægrum graviori quam olim vitæ discrimini objiciunt; si causam vero investigamus, satis pa-

tebit, cibum intempestive ab amicis male officiosis datum fuisse.

Quantumcunque vero profecerint medici Continentis Europæ in hoc morbo, id victui, quem tenuissimum, plures per dies arctissime imperant, jure attribui potest: nullo enim modo, postquam æger convalescere inceperit, curationi eorum medicinali imputari debet.

FINIS.